
DIVI LUDOVICI

MARCHIONIS MANTUAE

SOMNIUM

MANTOVA
STAB. TIPO-LIT. EREDI SEGNA

1887.



DIVI LUDOVICI

MARCHIONIS MANTUAE

SOMNIUM

MANTOVA
STAB. TIPO-LIT. EREDI SEGNA

1887.

CAESARI CORRENTI

VIRO CLARISSIMO

HIPPOLYTUS DE CAPRIANIS

D. D.

DELLA PRESENTE PUBBLICAZIONE

L'on. march. cav. Ippolito Cavriani è fortunato possessore di un piccolo codice che contiene due ragguardevoli scritti inediti, di molto interesse per la nostra Mantova, il primo dei quali è del Platina.

Ora egli vuole che sia pubblicato sotto il nome dell' illustre suo amico sen. Cesare Correnti, e che io ne abbia a curare la stampa.

Nell'adempiere pertanto a sì gradito incarico, ho creduto bene di premettere brevissime parole sul codice, sullo scritto e sull'autore, e di aggiugnere al testo alcune note, intese a facilitarne l' intelligenza.

Il codice. - Fu scritto in nitida calligrafia, alla fine del secolo XV su bellissima pergamena. Misura

in altezza cent. 14 ed in larghezza cent. 9. Il cartone è coperto da una pelle di daino, e sul suo davanti si vede il foro nel quale stava infisso il fermaglio. Contiene per primo il lavoro del Platina, e per secondo una lettera che Sigismondo Golfo, segretario del marchese Lodovico Gonzaga, dirige a Benedetto Capilupi cancelliere dello stesso principe, alla quale è premessa questa intestazione in caratteri rossi, majuscoli: *Sigismundus Golpus (sic) Ill. Domini Marchionis secretarius Benedicto Capilupo Mant. P.ti D.i cancellario S. P. D.* ed infine ha la data: *Mantuæ pridie idus Jannuarii MCCCCLXXXIIII.*

Le carte scritte sono 30, delle quali 15 e mezzo sono occupate dal lavoro del Platina, e 14 e mezzo dalla lettera del Golfo.

Il nobile marchese acquistò il prezioso volumetto parecchi anni sono, dal libraio Ulisse Franchi di Firenze, il quale lo comperò in una città delle Romagne.

Più in là non ci è dato di sapere delle sue vicende, ma probabilmente appartenne a casa Gonzaga, o forse anche ai Montefeltro d' Urbino.

Lo scritto. - È un dialogo tra Vergilio ed il Gonzaga, in un latino elegante, spigliato, abbondante, si può dire classico, non indegno nè dell'autore delle Vite dei Pontefici, nè della grande coltura classica del secolo XV.

Finge il Platina che Vergilio, accompagnato dal

Sonno, discenda dai campi elisii e si presenti in sogno al Gonzaga, per esortarlo a compiere l'opera già incominciata, ma intromessa, di purgare le di lui opere dagli errori che vi avevano introdotti gli ammanuensi ed uomini inesperti. Ma su di ciò gli interlocutori si scambiano poche parole, nel principio ed alla chiusa del dialogo, perchè la correzione delle opere vergiliane non fu che un pretesto, per coprire lo scopo vero che si era prefisso, che era quello di tessere un ampio panegirico, che mette in bocca a Vergilio, del principe mantovano, delle sue azioni pubbliche e private della sua cultura. Ed infatti su di questo tema occupa la maggior parte dello scritto.

Non ostante che il Gonzaga sia uno degli interlocutori, il Platina gli intitola il suo lavoro in un breve proemio al dialogo. Da alcune espressioni poi di questo stesso proemio si arguisce che il presente scritto del Platina è uno dei suoi primi lavori, e come tale e perchè tale egli lo dedica al principe.

Solent, egli dice, *illustris princeps, illi qui artem exercitio accomodare volunt, eligere virum aliquem singularem cui potissimum primitias studiorum suorum voveant.*

Dalla narrazione che egli ci fa della guerra combattutasi tra i Veneziani e lo Sforza, nella quale il Gonzaga parteggiava per questi, si viene ad intendere approssimativamente il tempo nel quale il Platina scrisse il Sogno. A pag. 19 si legge: *Memini quod in prima aestate superioris belli....* e più espressamente, in fine del

dialogo a pag. 23 : *hoc velim nihi concedas ut quod antea intermisisti propter res domi militiaeque gestas, nunc, parto ocio, conficias, neque unquam abste discedam, nisi hac hiaeme id te facturum pollicearis.*

La guerra era dunque finita e dal tenore dei due passi, ed anche dall'assieme di tutto il dialogo si comprende che lo era da poco. Ora la guerra di cui si parla è quella che principiò nel 1452 e finì nel 1454 colla pace di Lodi. A questo anno quindi, o tutto al più, al seguente è da attribuirsi lo scritto del Platina. Da ciò veniamo ad apprendere un altro particolare che riguarda il Platina.

Ammesso che questo lavoro sia una delle sue primizie, ne viene che egli abbia incominciato piuttosto tardi, ad età matura, a scrivere, poichè se sta che egli sia morto nel 1481 e che in allora avesse 60 anni, ne consegue che allorchè compose il dialogo ne contasse 33, o 34.

Dell'autore. - Della vita del Platina non dirò nulla, giacchè questo non è il luogo opportuno e le sue vicende, d'altronde, ora ci sono note; accennerò soltanto ad un particolare interessante, che lui stesso ci fa conoscere nel proemio premesso al dialogo, e cioè che i suoi studi letterarii li abbia fatti a Mantova, o quando meno, nel mantovano. Dice infatti : *Ego vero qui te familiamque tuam semper amavi et sub cujus imperio literas didici....*

Il Platina, e con lui verun altro scrittore, non ci

dice che egli abbia studiato sotto la *virga ferrea* di Vittorino da Feltre, ma se come pare dalla frase surriferita, apprese lettere in Mantova, facendo il confronto tra l'anno della morte di Vittorino e l'età che allora aveva il Platina, circa 24 anni, apparisce più che probabile che abbia avuto la fortuna di avere a maestro il grande precettore.

Attilio Portioli.

Bartolomei Platinensis Proemium ad Ill. Ludov. Mantuae Mar.

Solent, Illustris Princeps, illi qui artem exercitio accomodare volunt eligere virum aliquem singularem, cui potissimum primitias studiorum suorum voveant. Ego vero qui te familiamque tuam semper amavi et sub cujus imperio literas didici, ad te hoc genus exercitationum mearum mittere constitui, ut haberem aut stili nostri singularissimum fauctorem, aut si quid minus congruum inesset, doctissimum emendatorem. Accipies igitur hoc opusculum, in dyalogi morem digestum, in quo fecimus Virgilium te adhortantem per insomnia, ut opera sua quemadmodum institueras corrigeres, teque ei respondentem, quamobrem id agere intermiseras. Audi, quaeso, quid sibi Virgilius velit.

Divi Ludovici Marchionis Mantuae Somnium.

Virgilius - Leves causae praestantissimi poetae me, superiori tempore, adire superos compulerunt, nam cum multarum praeces me submovere visae sunt, tum demum videndae patriae amor non mediocris morsus nobis attulit, ut si quam antea prope direptam incensamque, ab avidissimis caesarianorum militum manibus, vidimus 1),

1). Fa un confronto tra le condizioni di Mantova del tempo della invasione dei soldati di Augusto e quelle del principato di Lodovico Gonzaga.

nunc tandem auctam, florentemque copiis et opibus admiraremur. Suboritur dein alia non mediocris causa, quae me hoc iter maturare compellit, egregia scilicet et singularis voluntas illustris Ludovici divi principis nostri, qui summo cum labore, industria, diligentia, opera nostra vitio librariorum imperitorumque hominum labefactata, non inutiliter corrigere et emendare conatus est. Quare si me, meaque amatis volumina, quae non sine summo emolumento et honore immitati estis, equo animo feretis discessum meum. Ardeo enim incredibili desiderio per insomnia adhortari principem mantuanum, ut ea qua consuevit diligentia opera nostra elimare conetur. Relinquam igitur campos helysios et sacratissimas poetarum sedes meumque maturabo iter, dulcissimam atque desideratissimam patriam versus. Sed tu, o Somne, quem ego omnium deorum suavissimum et placidissimum esse dixi, praecede, eoque quo soles sopore sparge divi principis nostri formosissima membra, ut quamquam tuis ille captus illecebris, ac detentus sit, tamen videatur veras audire et reddere voces.

Somnus - Neminem esse arbitror, o singularissime vates, cui magis debeam quam tibi. Nam quamvis caeteri poetae me pro viribus suis celeberrimum superis reddiderint, tu tamen quia latinos omnes superas et grecis pares, tanta cum elegantia officia naturamque nostram aperuisti, ut non describi, sed res ipsa ante oculos poni videretur. Quare si quid aliud est quot tibi pro meritis erga me fieri possit, praescribe, impera, nihil enim mihi gratius erit, nihil jocundius, nihil optabilius, quam tua capessere jussa. Pergam igitur quo jussisti, tu me, quantum potes, sequere.

Virgilius - Perge; sequar. Sed memineris curare hoc negotium leviter, ne principem excites.

Somnus - Quiesce; id mihi maxime curae erit, unum te admonitum velim, ne diutius immoreris.

Vir. - Nihil est quod magis cupiam quam patriae nostrae columen intueri.

Som. - Cedant omnes curae, cedant sollecitudines, cedant negotia atque divum Lodovicum hanc totam noctem quiescere sinant, ut et genio et Virgilio nostro satisfacere possit, id mihi nunc merito concedere potestis, nam antea hominem adeo exagitastis domi militiaeque, ut mirum mihi et caeteris videri possit quonam pacto vivat. Sed naturae non parum debet quae ei multa

et maxima munera concessit; nam caloris et frigoris, inediae et vigiliae patientissimus est. Quare et nos qui te amamus tibi gratulamur et tu qui haec munera habes plurimum immortali Deo debes.

Vir. – Quid agitur Somne.

Som. – Recte. Nam mandata tua curavi diligenter; quiescit divus. Lodovicus et illecebris nostris detinetur maxime, quare nunc adeundi facultas datur; si quid est quod aut ad te, aut ad illum pertineat.

Vir. – Adibo, atque hominem apellabo; tu interim, quod mihi verbis tuis pollicitus es, re ipsa conprobato.

Som. – Id agam diligenter, teque quantum voles operiar.

Vir. – Facis ut te decet; sed est ne hic divus Lodovicus qui strato recubet aureo?

Som. – Ipse est, suspende gradus tuos et propius accede.

Vir. – Hic vir magnam praesefert integritatem et prudentiam.

Som. – Vera dicis. Sed sunt alia in hoc principe, quae te magis stupidum reddent.

Virg. – Arbitraris me nescire, quid in pace quidve in bello gesserit Lodovicus noster, cuius res gestae adeo preclarae sunt, ut ne Britanni quidem in alio orbe positi nomen ejus ignorent.

Som. – Comprime os et me vide.

Vir. – Salve, inclyte Lodovice, certissima patriae nostrae salus.

Ludovicus – Quis me jussit salvere?

Virg. – Virgilius Maro mantuanus.

Ludov. – O lux poetarum salve, quid huc venisti?

Vir. – Ut te patriamque nostram viderem, quam tu armis et ego litteris potentem celeberrimamque fecimus.

Ludo. – Tua certe laus nemini obscura videri potest, mea autem qualis sit judicabunt posteri. Ego semper conatus sum, conaborque dum vivam, augere hanc urbem et ita augebo ut hostium copias propulsare, aut hostibus suis justa cum causa ultro bellum inferre possit.

Virgilius – Laudo sententiam tuam, Lodovice, nihil enim est post Deum, cui magis debeas, quam patriae tuae, quare te etiam atque etiam adhortor, ut perseveres in ea, in qua nunc es sententia.

Lud. – Id quidem agam. Sed est alia causa, quae te hoc iter ad nos maturare compulerit?

Virg. – Est alia profecto, nam potissimum ad te veni ut tibi, bene de me merito, immortales agerem gratias, quippe qui opera nostra, vitio imperitorum hominum lacerata, maxima ex parte correxisti, reliquamque partem emendaturus eras, nisi tibi bella malaque domestica impedimento fuissent.

Ludov. – Divinabam ego te imprimis ob hanc causam ad nos venisse, hac scilicet gratia ut me adhortareris ad explendum opus semiperfectum, sed mihi crede non erat opus admonitore, si mihi per otium licuisset. Scis profecto, vates, cum quibus hostibus bellum gesserim, duce atque imperatore copiarum nostrarum Francisco Sfortia, quem ego tanti facio faciamque, dum vivam quanti Caesar ab Antonio et Curione fieri potuit 1). Nec immerito; quis enim est, his nostris temporibus, quem cum hoc praestantissimo duce conferre possimus. Nemo profecto; habet enim quod maxime imperatorem decet; scientiam rei militaris, virtutem, auctoritatem, felicitatem. Quis enim hoc viro peritior unquam fuit in re militari? qui e cunis atque alumni ulnis bello maximo hostibusque accerrimis ad patris exercitum atque ad militiae labores profectus est; qui, ineunte adolescentia, miles fuit in castris paternis, quae castra, mortuo patre, tanta postea cum virtute et felicitate administravit ut neminem unquam parem habuerit, nedum superiorem, qui saepius cum hostibus bellum gessit, quam quisquam alius gerere cogitaverit. Quod igitur bellum in hac misera Italia, nostris temporibus, fuit in quo illum fortuna non exercuerit? quid plura commemorem? multa bella non solum hoc duce gesta, verum etiam confecta sunt. Virtutem viri quis non admiratur? Laborem in transigendis rebus, fortitudinem in periculis, industriam in reggendo, celeritatem in perficiendo, consilium in providendo, quae adeo omnia sunt connaturalia cum hoc viro, ut secum nata esse videantur. Auctoritas praeterea non parum in bello valet, cum imperatorem hostes metunt, milites verentur, socii colunt atque observant. Quis homo igitur nostris temporibus in bello gerendo clarior unquam fuit? quis cujus nomen magis celebratum apud

1). Lodovico Gonzaga era stato alleato dei veneziani contro la repubblica Ambrosiana e lo Sforza, sino a tanto che questi si fece duca di Milano. Dopo questo avvenimento cambiò parte, divenne amico fedelissimo dello Sforza, e con esso guerreggiò i veneziani. E per questo che il Platina si distempera nel seguente elogio, d'altronde meritato, del novello duca milanese.

omnes gentes sit? Mirum est quanta cum benevolentia militum, quantaque cum charitate bellum semper gesserit, adeo ut secum sine stipendio militare semper maluerint, quam cum aliis, maximis praemiis muneribusque sollecitati. Possem commemorare multa et maxima bella a se confecta in tanta annonae difficultate et inopia rerum omnium, ut milites sui rapas herbarumque radices edere cogerentur. Sed nunc non datur narrandi tempus, ad felicitatem viri veniamus.

Ego enim sic arbitror, Caesari, Pompeo, Hanybali, Mario caeterisque ducibus propter fortunam maxima bella commissa esse. Sed huic viro, quem in coelum laudibus, si fieri posset, tollere vellem, fortuna adeo obsequens est, ut quoquo voluerit secum illam volentem nolentemque trahat. Neque enim dicam hoc loco quantas ille res navali, terrestrique praelio summa cum felicitate gesserit.

Unum tamen dicam brevissime. Neminem unquam tam impudentem tamque temerarium extitisse qui hoc tacite optare auderet, quod ipse ab immortali Deo summo cum favore consecutus est, quod autem verum sit declarat bellum placentinum, a se gestum in maxima aquarum niviumque illuvie, bellum navale gestum in agro cremonensi 1) quod summa cum celeritate confeciti bellum veneticum, in quo tot duces militesque capti sunt, ut pauci admodum ex fuga superfuerint, quorum castra adeo copiis et opibus referta erant, ut merito persycis divitiis regioque esercitui comparari possent 2); bellum mediolanense, in quo non solum populi, verum etiam reges, principesque omnes in eum conjurasse videbantur, qui quidem tantum valuit magnanimitate et prudentia ut Mediolanum, urbem potentissimam atque populosissimam suo parere coegeret imperio 3). Misere deinde multae civitates, hujus belli fama

1). Allude al combattimento accaduto il 16 luglio 1448 nelle acque del Po presso Casalmaggiore tra la flotta veneziana ed i galeoni pavesi di Francesco Sforza, combattimento che causò la rovina della flotta veneziana.

2). Aecenna alla battaglia accaduta il 15 settembre del detto anno a Caravaggio, tra lo Sforza e i Veneziani col marchese di Mantova, nella quale questi ultimi lasciarono prigioniero tutto il loro esercito, perdendo per intero gli accampamenti, non salvandosi che i duci supremi, i quali, corsero di un fiato sui loro cavalli, da Caravaggio a Brescia.

3). Si riferisce questo accenno ai fatti di guerra accaduti attorno Milano nel 1449 e 1450 che portarono lo Sforza a farsi padrone della città.

commotae, legatos ad eum foedus amicitiamque petentes, quas omnes ipse, pro sua humanitate, aut in deditionem, aut in amicitiam recepit; quo tempore ego quoque affinitatem secum amicitiamque conjunxi.

Virgilius - Ingenium praestantissimi ducis enarrasti, quod nec mihi, nec cuiquam ex poetis nostris incognitum erat. Sumus enim vates, propterea habemus rerum praesentium intelligentiam, praeteritarum memoriam, futurarum providentiam, quod ex poematibus nostris facile deprehenditur, ubi istarum rerum multa et maxima sunt exempla. Sed unum maxime miratus sum, quod hujus ducis mores, naturamque tanta cum elegantia prosequutus sis.

Ludov. - Facile exornatur verbis quod a praestantissimo duce exactissima rei militaris disciplina gestum est.

Virgili - Vera praedicas, sed hoc novissimum bellum, quod pari animo, communibusque copiis et opibus in venetos gessistis, mirum in modum mihi placuit. Nam quamquam hostes vestri superiores essent numero copiarum, tamen semper tantum valuistis consilio vestro, et militum ad dimicandum alacritate, ut eos saepius fuderitis, et in agro hostium ferme semper copias vestras tenuistis, etsi illi vobis prius nulla ratione, nulloque consilio bellum intullissent.

Ludovicus - Fateor, Maro, me quoque huic bello interfuisse quod gerebatur auspitiis ducis nostri, in quo nihil a me pretermissum est, quod aut ad fidem, aut ad integritatem nostram pertineret 1).

Virgilius - Novi ego ingenium tuum, Lodovice, semper enim duxisti non solum bellandi virtutem in summo ac perfecto duce esse oportere, verum etiam artes hujusce bellicae laudis comites et pedissaeque, quae omnia ne mentiar in te esse cognovi, innocentiam tuam norunt tam hostes quam amici, nihil enim unquam fecisti, aut fieri passus es, quod contra jus gentium videretur. Temperantiam tuam quis non laudat? nam cum jure belli milites tui hostium castella dirupere, domos ac tecta incendere, agros

1). Imprende a parlare della guerra riaccesasi tra lo Sforza ed i Veneziani nel 1452, nella quale Lodovico Gonzaga stava col duca; ed i Veneziani avevano preso al loro soldo e fatto capitano delle loro milizie Carlo Gonzaga, fratello e nemico di Lodovico e che si era reso così tristamente celebre a Milano quale capitano della repubblica di S. Ambrogio.

vastare possent, id fieri nunquam pro humanitate tua voluisti; fidem vero tantam in te esse omnes existimant, quanta unquam ullo in duce fuerit, quam sicut arbitror haereditariam filiis tuis relicturus es.

Age vero, fortitudinem tuam perstringamus.

Ludovic.- Vide quid agas, vates, ne charitate patriae motus, me plus fortasse quam satis est laudes.

Virgilius. - Quiesce, Lodovice, nihil dicam quod non a te summo labore summisque vigiliis confirmatum sit. Semper enim res magnas et summo principe dignas appetuisti, vilesque contempsisti et defendendae patriae causa non mediocres labores passus es. Memini quid in prima aestate superioris belli feceris, quasque copias et armïs et animis munitas, summa militum alacritate cum exercitu ducali conjunxeris, adeo ut nemini dubium esse debuerit, hostes fundi fugarique potuisses, si et paludes et extuaria relinquere voluissent, quibus pro vallo et fossa utebantur quoties illi per nuntios praeconesque vestros convocati sunt, ut in aequum planumque descenderent, atque experirentur quis justius arma sumpsisset; nunquam ausi sunt dimicare cum copiis vestris, collatis signis.

Ludovicus - Narras haec omnia ac si affuisses.

Virgilius - Affui semper, aderoque dum vives, quotiens aliquid viro dignum gerere voles, nam hoc mihi a collegio poetarum pro meritis erga se meis concessum est, ut et campos helysios relinquere et ad eosdem reverti possim. Venio ad praelium, quod cums umma celeritate a te confectum est in agro veronensi. Nam, cum milites in hiberna deduxisses, hostes nostri convocatis clam agrestibus in te militesque tuos, qui hiemabant in agro mantuano, impetum facere non dubitarunt, quod cum per exploratores tibi compertum esset, convocatis paucis admodum equitibus, quos anni tempus, haud facile, in equis esse patiebatur, cum pedestribus copiis hostes adgressus es.

Ii primo congressum militum tuorum, constanti animo tulere atque utrinque nonnulli cecidere. Sed postquam te adesse nuntiatum est, ferre diutius impetum tuum non potuerunt; ex iis multi in acie caesi, plures vivi capti sunt. Hoc praelio facto, milites tui adeo feroces, alacresque ad dimicandum extitere, ut paulo post rescindere non dubitaverint castellum illud munitissimum

quod hostes tui in Pontemmolinum fecerant 1), quin etiam direpto castello fudere hostium copias, qui defendendi castelli causa venerant. Nec hac victoria contenti fuerunt, nam usque ad castra hostem insequuti, transcendere vallum non dubitaverunt. Quod cum hostes fieri animadvertissent, timore perterriti, passim effusa fuga Veronam petiere. Itaque eodem die tuis auspiciis tuoque jussu castellum illud captum est, castra direpta, fusi ac fugati sunt hostes. Initio autem sequentis aestatis, magnis utrinque copiis magnoque commeatu, apparari bellum ceptum est, adeo ut omnes judicarent, tunc demum decerni debere uter utrique imperaret. Veneti qui maxime distrahi copias ducales cupiebant, magnam partem exercitus sui in te, patriamque nostram miserunt. Neque hoc contenti fuerunt, nam fratrem tuum quem tibi accerrimum hostem esse volebant, hujus belli ducem constituere 2). Non dico, Lodovice, quo gemitu, quibusve lacrimis defleverim miserimam conditionem hujus viri, qui cum civis noster, et frater tuus, tibi, patriaeque comunis ferro et flamma exitium minabatur.

Ludovic. - Tu mihi testis est, vates, suntque item caeteri cives, qua humanitate, quo studio, qua gratia hominem semper complexus sim, qui quidem voculis malivolorum, quibus fidem ille adhibebat ad hanc conditionem redactus est.

Virgilius - Vera dicis. Sed spero benignitate Dei aliquando inter vos fore immortalem gratiam 3) Revertar unde digressum sum, ut me quoque hinc praelio interfuisse cognoscas. Positis utrinque castris, et exercitatis aliquamdiu militibus, aut in expeditione, aut in excursionibus, tu demum per exploratores tuos certior factus es hostium agmen adventare; quod ubi milites intellexere, tanta cum alacritate ad arma conclamatum est, ut uno ore omnes pugnam esposcerent, molesteque laturi videbantur si hostes ulterius in agrum mantuanum progressi fuissent. Quare tu qui omnia consilio et ratione administrare consuevisti, confirmatis militum animis, et instructa pedestri equestrique acie in

1). Ponte Molino è luogo vicino ad Ostiglia presso il Tartaro, e le Valli veronesi. Conserva ancora qualche avanzo di fortificazione.

2). Carlo Gonzaga aveva avuto dai veneziani 3 mila cavalli e 500 fanti.

3). Il voto qui espresso si è poi verificato, poichè i fratelli alla fine si riconciliarono.

hostem, plano campo, progressus es. Tubae utrinque suos adhortabantur, fit concursus equitum, subsequuntur pedites et adversariorum equos suffodiunt telis: pugnatum est acriter, et a neutra parte inclinabatur acies. Cum tu ad milites secundi ordinis pervenisti, quorum impetum ferre hostes non potuerunt, primo abste admoniti ut pristinae virtutis memores fortiter pugnarent. Funduntur hostes et quod eis maxime salutare erat, terga vertunt. In eo praelio et duces et omnes ferme primores ordinum capti sunt, quos triumphans in urbem nostram deduxisti. Cum maximo omnium favore hoc adverso praelio perterriti hostes, nunquam postea te tentare ausi sunt 1).

In agrum deinde brixiensiem, tanta cum celeritate contendisti, ut castra prius ad vicum Gaidi posueris, quam quisque te ex agro mantuano discessisse arbitraretur. Quo in loco tantam vim hostium passus es, dum adventum Francisci Sfortiae expectares, ut admirarentur omnes et consilium et fortitudinem tuam. De rebus a te gestis in bello pauca dixi; de laudibus pacis quaedam dicturus sum, nam in te ea sunt quae in principe integerrimo esse debent; neque enim dicturus sum qua justitia, quave gravitate populum tuum in pace detineas, adeo ut mirum omnibus videri debeat; unde tanta innata sit civibus tuis concordia cum reliquae Italiae civitatibus, aut factionibus, aut odio laborent intestino. Quis autem civis est, in hac comuni patria tam potens, tamque pecuniosus, qui audeat ne minimum quidem hominem lacessere injuria. Nemo profecto possem commemorare, Lodovice, multas civitates, domi militiaeque potentissimas, quae post habita justitia funditus eversae sunt. Fuerunt quidem aliae, quae quamvis exiguo ortae essent principio, tamen pro sua aequitate in omnes maximum meruere imperium. Sit tibi in utramque partem exemplo Roma, sit Karthago, sit Coryntum, sintque item aliae urbes, quae imperio potitae sunt, nam dum apud eas et rectum et honestum coleretur, summo semper in honore fuere. Ubi vero avaritia et libido dominari cepit, adeo in pejus omnia ire ceperunt, ut vix istarum urbium extent vestigia. Quare, Lodovice, ad eam te adhortor laudem, quam prope nascens prae te ferebas, fuit semper in te puero modestiae

1). Questa battagiia accadde il 15 giugno 1453, e secondo narra il Platina nelle sue Storie mantovane a Villabona a due miglia da Goito.

et justitiae domicilium quoddam. Haec eadem auxisti cum aetate simul. Economiam tuam praeterirem, si te id aequo animo laturum putarem. Quis est in Italia princeps, qui tecum in disponenda regendave re familiari conferri possit? Nemo, hercle; est operis pretium videre qua copia, quibus moribus quaque facilitate aulicos tuos pascas et vestias, reliquaque item subministres, quae usui humano necessaria videntur.

Omnes fere principes te unum intuentur, a quo et politicam et economicam perdiscant. Accedit ad hoc non inutilis quidem cognitio construendarum aedium, quae non sine maxima ratione aritmeticae et geometriae haberi potest. Quid commemorem arces inexpugnabiles a te constructas, quid domos, quid aedes, quid palatia; ubi uno tempore tecum et reges et principes divertere possent sine magno tuorum incomodo. Habes postremo tantam auri et argenti supellectilem quantam maxime te, pro dignitate tua, habere decet.

Admirabuntur fortasse multi, quod ego te in hoc genere laudis cum Catone majore comparem, quem unum omnium mortalium, quos unquam vidimus, aut de quibus legere potuimus, diligentissimum in agricultura cognovimus. Neque enim civitates tuae amplae, tamque abundantes rerum omnium copia essent, nisi extarent, qui et agros colerent, et agri colendi rationem afferrent, namque voluptas et utilitas potest esse major, quam videre repastinatos agros, vites ulmis adnexas, et reliquas frugiferas arbores in ordinem et quinquuncem digestas pascitur certe mira voluptate animus, et quocumque aciem flectis recreatur multiplici rerum varietate aspectus, hanc profecto amenitatem cum jocunditate annexam nosti, Lodovice, qui rusticos tuos doces et agros colere, et rivos deducere irrigandorum agrorum causa. Qui locus est in agro mantuanuo tam sterilis tamque infecundus, quem tu pro tua industria et sollicitudine non amoenum et uberrimum reddas? Litteraturam tuam, illustris princeps, tanti semper feci, ut nihil mihi gratius aut carius nuntiari unquam potuerit, quam cum intellexi opera nostra imperitorum hominum manibus lacerata a te summa cum diligentia emendari, ex quo colligi, potest in te esse tantum litterarum, quantum esse in singulari principe decet. Neque enim poemata nostra emendari possent, nisi ab eo qui et grecae et la-

tinae litteraturae maximam cognitionem haberet 1). Sed ne te diutius teneam, Lodovice, hoc velim mihi concedas ut quod antea intermisisti propter res domi militiaeque gestas, nunc, parto ocio, conficias neque unquam abste discedam, nisi hac hyaeme de te facturum pollicearis.

Ludovic. – Faciam ego vero ac jubens.
Virg. – Vale, unica patriae nostrae salus.
Ludov. – Et tu vale, lumen poetarum patriaeque nostrae decus.
Virgilii – Somne abeundum est.
Somnus – Faciam ut jubes, abite, sequar. **Telos.**

Bartolomei Platinensis
ad Ill. Mantuae march.
libellus foeliciter expl.

1). Il marchese Lodovico allievo di Vittorino da Feltre, conosceva infatti perfettamente il latino ed il greco.